

210 (Q. 231) De Missis Votivis pro diversis rebus

parte pro diversis necessitatibus aut rebus dicendæ describuntur (cfr. Q. 37); secundum objectum de quo dicuntur, sequenti modo recenseri possunt. Sunt sequentes :

a) **pro necessitatibus publicis ecclesiasticis**, scilicet : 1) pro eligendo Summo Pontifice ; 2) in Anniversario Electionis, seu Consecrationis Episcopi ; 3) contra paganos ; 4) ad tollendum schisma.

b) **pro necessitatibus publicis civilibus** : 5) tempore belli ; 6) pro pace ; 7) pro vitanda mortalitate, vel tempore pestilentiae.

c) **pro necessitatibus privatorum spiritualibus** : 8) pro remissione peccatorum.

d) **pro necessitatibus privatorum temporalibus** : 9) pro infirmis.

e) **pro peculiaribus statibus privatorum** : 10) pro sponso et sponsa ; 11) pro peregrinantibus ; 12) ad postulandam gratiam bene moriendi.

f) 13) **pro quacumque necessitate**, vel publica, vel privata, vel spirituali, vel temporali.

Specialia, quoad objectum, de his Missis dicenda non sunt ; quæ de eis explicanda veniunt reducuntur ad regulas de Missis Votivis solemnibus et privatis, quæ in sequentibus tradentur.

Q. 231. *Occurrunt quandoque graves necessitates speciales, pro quibus nulla specialis Missa in Missali assignatur ; quænam in his casibus Missa erit dicenda ?*

R. Revera possunt dari quædam graves et urgentes necessitates, in quibus Missa Votiva, quantum potest propria, opportune celebranda venit, et pro quibus tamen specialis Missa non assignatur in Missali ; ex. gr., ad petendam pluviam, ad postulandam serenitatem, etc. Pro hujusmodi necessitatibus autem reperiuntur in sexta Missalis parte (cfr. Q. 38), quædam Orationes diversæ, pluribus necessitatibus, et speciatim duabus ad exemplum invocatis adaptatæ.

In hujusmodi rerum adjunctis, pro Votiva dicitur Missa inscripta « pro quacumque necessitate » (cfr. Q. 230, ad 13) : Oratio conveniens necessitati particulari occurrenti, ex. gr., pro pluvia, vel pro serenitate, non

De Missis Votivis pro diversis rebus (Q. 232, 233) 211

poterit quidem substitui Orationi propriæ Missæ pro quacumque necessitate ; sed hac retenta, si Missa Votiva sit solemnitas (cfr. Q. 206), adjungetur sub unica conclusione Orationi Missæ ; si Votiva sit privata, poterit adjungi post Orationes a Rubricis in Missis Votivis privatis præscriptas. (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Februarii 1884, n. 3605, antiq. 5907, ad 4 ; et 30 Junii 1896, n. 3922, § II, n. 3.)

Q. 232. *Quænam Missa dicenda est, si petitur Votiva pro Gratiarum Actione ?*

R. In Rubrica particulari descripta post Missam Votivam de SS. Trinitate, in quinta parte Missalis (cfr. Q. 37), notatur, quod pro Gratiarum Actione dicitur Missa Votiva, vel de SS. Trinitate vel de Spiritu sancto, vel de B. Maria, ad libitum Sacerdotis, juxta quod circumstantiæ opportune indicaverint ; quæcumque autem harum trium dicatur Missa, addenda erit Orationi propriæ Missæ Oratio specialis pro Gratiarum Actione, posita in Missali post Missam Votivam de SS. Trinitate.

Q. 233. *Ubinam, id est, cum qua Oratione, aut post quam Orationem Missæ legitur hæc Oratio pro Gratiarum Actione ?*

R. Rubrica specialis in præcedenti Quæstione indicata, dicit Orationem istam addi **sub una conclusione** Orationi Missæ Votivæ. Putant vero plures auctores, quos enumeratos vide apud S. Alphonsum (*Theologia moralis*, Lib. VI, n. 423, add. IV), præceptum Rubricæ de unienda hac Oratione sub una conclusione, intelligendum solummodo esse de Missa Votiva solemnitate (cfr. Q. 206), non vero de Votiva privata ; ideoque, in Missa Votiva privata, primam Orationem esse dicendam de SS. Trinitate, vel de Spiritu sancto, vel de B. Maria ; secundam Orationem vero de Officio diei, et tertiam pro Gratiarum Actione : hoc tamen intellige, nisi interponenda sit altera Commemoratio specialis Simplificis, Octavæ, Feriæ vel Vigiliæ ; quia tunc Oratio pro Gratiarum Actione, dicenda quasi Commemoratio communis tantum, locum cedit hujusmodi Comme-

morationi speciali quæ tertio loco dicitur ; unde statuitur, hanc Orationem pro Gratiarum Actione esse dicendam post Commemorationes speciales, sed semper ante Orationes Votivas, stricte vel late sumptas, ex. gr., ante Commemorationem SS. Sacramenti expositi, et ante Orationem imperatam.

APPENDIX

De colore paramentorum in Missis Votivis

Q. 234. *Quis paramentorum color adhiberi debet in Missis Votivis ?*

PRÆNOTANDUM. De coloribus paramentorum dicitur in Rubricis generalibus Missalis (Tit. XVIII, n. 1) : « Paramenta Altaris, Celebrantis, et Ministrorum debent esse coloris convenientis Officio, et Missæ diei, secundum usum Romanæ Ecclesiæ : quæ quinque coloribus uti consuevit, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, et Nigro. » Quæ de his coloribus adhibendis dicenda sunt, explicantur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii (QQ. 120 ad 133).

R. I. In Missis Votivis de Sanctis adhibetur color paramentorum idem qui ab Ecclesia præscribitur in celebratione eorum Festi. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Augusti 1667, n. 1357, antiq. 2417, ad 3.) — Excipitur Missa Votiva de SS. Innocentibus, in qua, etsi in Missa Festi color violaceus sit præscriptus, color rubeus semper adhibetur. — Igitur erit color, ex. gr., albus in Missis Votivis de B. Maria, de Angelis, de Confessoribus, de Virginibus ; — erit rubeus in Missis Votivis de Apostolis (exceptis Missis Votivis S. Joannis Apostoli et Evangelistæ extra tempus Paschale, S. Petri ad Vincula, et Conversionis S. Pauli, in quibus color albus adhibendus est), et de Martyribus.

II. In Missis Votivis de Mysteriis colores adhibentur : albus in Missis de SS. Trinitate, de Angelis, de SS. Eucharistia, de SS. Nomine Jesu, de SS. Corde Jesu ; — rubeus in Missis de Spiritu sancto, de Cruce, de Pretiosissimo Sanguine D. N. ; de Instrumentis Passionis D. N. (de quibus dicitur Q. 227) ; — viola-

ceus in Missis de Passione (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § IV, n. 2). — In Missis de Passione Votivis per annum, Officio conformibus, de quibus dicitur in Nota II ad Q. 226, color præscribitur rubeus toto anni tempore. (Decret. 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, ad 2.)

III. In Missis Votivis pro diversis necessitatibus color est : 1^o albus pro Missa in Anniversario Consecrationis Episcopi, et pro Missa pro Sponso et Sponsa ; — 2^o rubeus in Missa pro eligendo Summo Pontifice ; 3^o — violaceus in omnibus aliis Missis.

NOTA. I. In Missis Votivis **solemnibus** color paramentorum Altaris debet esse conformis colori paramentorum Celebrantis. In Missis Votivis **privatis** vero, hæc conformitas non requiritur, et paramenta Altaris possunt esse conformia Officio diei, dum paramenta Celebrantis sunt coloris Missæ Votivæ, conformiter regulis supra datis. Si tamen Missa Votiva privata celebratur cum solemnitate extrinseca, decet, quoad colorem paramenta Altaris esse conformia paramentis Celebrantis.

NOTA. II. Exposito SS. Sacramento ad Altare in quo celebratur Missa Votiva, paramenta Altaris semper esse debent coloris albi ; paramenta Celebrantis vero, ejusque Ministrorum erunt coloris qui Missæ Votivæ convenit, quicumque sit. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 133.)

ARTICULUS II

DE MISSIS VOTIVIS RATIONE SOLEMNITATIS
INTRINSECÆ

NOTA. Ut clarius perspiciantur, et magis apte proponantur diversarum Missarum Votivarum regulæ et qualitates, et prius cognoscantur ea quæ magis practica occurrunt, ubi agitur de earum distinctione ratione solemnitatis intrinsecæ, juvat primo loco dicere de Missis Votivis privatis, deinde de Missis Votivis solemnibus, denique de Missis Votivis privilegiais.